Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.

Wien, 1799 Seite 199

Quelle:
Copyright:

Josue: *Et factum est post mortem &c. tam nomine quam re significat Josue Christum. Nomine quia saluator interpretatur. Re quia populum in terram promissionis introduxit* &c. Liber Judicum: *Post mortem iosue &c. Liber iste dicitur hebraice softim latine iudicum* &c. Ruth vero habet Prooemiolum, sed a *Tanneriano* diversum; nam infit: *Nota. sicut breuis manibus apis et ex ea magnus extrahitur fructus, ita hic liber est modicus sed magna ponderositate refertus* &c. Videant, quibus plurium Exemplarium inter se conferendorum est copia. Quidquid ceterum Scriptores quidam de hoc Viro ferant, ego persuadere mihi nunquam potui, Hominem infignibus vitiis laborare, qui totam vitam sacris literis excolendis et piis lucubrationibus impenderit.

III. *fol.* 293. redit *Hugo postillator super Judicum libro*, ut T. I. *supracit.*

CXXX.

U. 28 Codex chartaceus lat. Sec. XV. Folior. 388. f. per duas columnas probe scriptus et rubricis illustratus olim *M. Thomae Wölfel de Wuldersdorf* 1478. legato continet *Nicolai de Lira Postillas in IV. Regum, Paralipomena, Orationem Manassis, XII. Prophetas* minores adhaerente *Baruch, III. Esdrae, Tobiam, Judith, Esther, II. Machabaeorum. Fol.* 133. post *Libros Regum* in ora infima: *Ego Sigismundus Puchberger finiui 1455. barnabe.* Idem Librarius *fol.* 154. L. I. *Paralip.* c. 23. *linea* 1. κγνπλογεαφιαν suam nobis propinavit verba: *Igitur David &c.* characteribus exoticis repraesentando. *Fol.* item 341. p. 2. *Antiochi M.* Genealogiam tabellarem inseruit.

CXXXI.

Codex chartaceus lat. Sec. XV. U. 25 Folior. 404. per duas columnas bene descriptus et rubricis enotatus, Donum *Thomae de Wuldersdorf*, ut antecedens, complectitur ejusdem *Lirani Postillas in Job, Isaiam, Jeremiam, Ezechielem et Danielem.* Initium: *Patientiam habe in me, et omnia reddam tibi. Math. 8. Quamuis uerbum propositum sit &c.*

CXXXII.

Codex chartaceus lat. Sec. XIV. U. 122 Folior. 286. 4. currente calamo perscriptus ad calcem haec refert: *Istum librum legauit Magister Rügerus Dole felicis recordacionis collegio Ducis qui viam vniuerse carnis ingressus est Anno &c. Quadringentesimo Nono vicesimo sexto die Mensis Nouembris, cuius anima requiescat in pace. Amen. Precessit. Nos sequimur.* Vir hic patria *Ruraemundanus*, popularibus suis ignotus, inter primos Academiae nostrae alumnos jam a. 1390. Philosophiae Decanatu functus a. 1407. fasces Rector gessit, simul D. *Stephani* Canonicus, et Plebanus, ut habent Catalogi, in *Schrefling*, fortasse re-

ctius